

GRATIAN. Quod autem supra Clerici se Vigilis subtrahentes excommunicari iubentur, de his intelligendum est, qui ab Episcopo frequenter admoniti, negligentiam suam corrigere contempnunt. Unde legitur

IX. IN CONCILIO Martini Papae. [C. an. 572. in Hispania.]

Excommunicatur Clericus, qui ab Episcopo communitus, matutinis, vel vespertinis Horis adesse neglexerit.

SI quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesie deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis Horis ad Ecclesiam non convenierit, deponatur a Clero: si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noverit promereri.

SUMMO PONTIFICI OMNES OBEDIANT, ET SUPERIORIBUS INFERIORES. DISTINCTIO XCIII.

GRATIAN. OBEDIENTIAM autem inferiores Ordines a superioribus debent. Summo enim Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, ut nulli liceat ei communicare, cui pro actibus suis inimicus ipse extiterit: nec in Ecclesia esse poterit, qui ejus Cathedram deserit. Unde Beatus Apostolorum Princeps Petrus in ordinatione Clementis populum alloquens inter cetera ait:

I. FABIANUS Papa, Epist. I. [an. 236. Roma ad omnes Ecclesie Communitates.]

Cui pro actibus suis Apostolicis inimicatus, communicare non debemus.

SI inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse: sed prudenter observare debetis, & voluntati ejus absque commotione obsecundare, & avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum: sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur: ut unumquodque, qui in culpa est, dum cupit omnium vestram amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei, qui omnibus praesertim, & per hoc redeat ad salutem, cum obedire cooperit monitis presidentis. Si vero quis amicus fuerit his, quibus ipse amicus non est, & locutus fuerit his, quibus ipse non loquitur; unus est & ipse ex illis, qui exterminare Dei Ecclesiam volunt; & cum corpore vobiscum esse videatur, mente & animo contra vos est. Et est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt, & evidenter inimici sunt. Hic enim per amicitiam speciem, quae sunt inimica, gerit, & Ecclesiam dispergit, ac vultat. Ideoque a Charissimi, his Apostolicis institutis vos monentes intrinsecus, ut effecta certior Charitas vestra sollicitius deinceps agere studeat, & cautius; ne perverfi & infideles homines laedendi fideles ac benevolos habeant facultatem.

CORR. ROM. a. Ideoque.] Hinc usque ad finem sunt in Fabiani tantummodo Epistola. Quamobrem ex ipso potissimum videtur Gratianus cetera etiam fuisse.

PITH. a. At.] V. C. Addit: Fabianus Communitatis Ecclesiae.

Communitio.] V. C. Communitio.

Contra vos est.] Sic V. C.

II. Item GREGORIUS I. lib. 5. Epist. 26. seu c. 126. [an. 596. Roma in Dalmatiam.]

A nullo debet suscipi, quem Romana depellit Ecclesia.

MIRATUR valde sum, quia in tanto Salonitanae Ecclesiae Clero, vel Populo, vix duo ex sacris Ordinibus inventi sunt, frater scilicet, & Coepiscopus noster Paulinus, & dilectissimus filius meus Honoratus Archidiaconus ejusdem Ecclesiae, qui communicare Maximo Sacerdotium sapienter, minime consentirent, & se Christianos esse cognoscere. Debitis enim, Filii Charissimi, pensare ordines vestros; & quem Sedes Apostolica repellere, repulsum cognoscere, ut prius, si posset, ab illatis criminibus mundaretur; & tunc ei vestra Dilectio communicaret, ne paticeps obligationis ejus existeret.

III. Item CYPRIANUS de Unitate Ecclesiae. [c. an. 256. in Africa.]

Non est in Ecclesia, qui Cathedram Petri non sequitur.

QUI Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.

CORR. ROM.] Apud Cyprianum Romae impressum hac leguntur: Haec Ecclesia unitatem qui non tenet, tenere se sitem credit? Qui Ecclesia renititur, & resistit, in Ecclesia se esse confidit? Verum in Vaticana Bibliotheca, praeter octo integra Cypriani exemplaria, est etiam aliud, in quo tantum Opuscula quaedam continentur, & inter ea hic tractatus. Atque in eo codice, itemque in altero integro Monasterii S. Salvatoris Bononiae textus verba haec, quae a Gratiano, & Ivone afferuntur. Ac sane paulo ante Cyprianus hanc ipsam Petri cathedram esse ostendit, unde unitas Ecclesiae penderet.

EPISCOPI vero, qui Apostolicae ordinationi subjacent, etiam hanc reverentiam debent, ut sefe singulis annis, Apostolorum liminibus repraesentent. Unde

IV. ANACLETUS, & ZACHARIAS Papa. [an. 743. Roma.]

Singulis annis Apostolorum limina visitent Episcopi, qui ordinationibus Apostolicis subjacent.

Juxta Sanctorum Patrum, & Canonum instituta omnes Episcopi, qui hujus Apostolicae Sedis ordinationi subjacent, qui propinqui sunt annis circa Idus Martii sanctorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli liminibus praesententur, omni occasione seposita: Qui vero de longinquo, juxta chirographum suum implent. Qui autem hujus Constitutionis contemptor extiterit, praeterquam si ageritudo fuerit detentus, sicut se Canonis subiacere sententis. CORR. ROM.] Hic est Canon quartus Synodi Romae habitae sub Zacharia Papa, quae extat in Bibliotheca Vaticana, ex qua nonnulla sunt in hoc Capite emendata.

RELIQUI vero in Ecclesia minores semper debent majoribus subsistere, sicut legitur

V. IN SYNODO ROMANA S. Silvestri, c. 7. [an. 324. Roma.]

Minores Majoribus obedientiam exhibeant.

SUBDIAcono usque ad Lectores omnes subditi sint Diacono Cardinali urbis Romae, in Ecclesia repraesentantes ei honorem. Porro Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcista Lector, Lectori Officiarius, Officiario Abbas, & Abbari Monachus in omni loco repraesentent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiae.

CORR. ROM.] Caput hoc & apud Gratianum, & in ipsius Synodi editionibus videtur valde mendosum: Burcharius & Ivo sic habent: A Subdiacono usque ad Lectorem, omnes subditi sint Diacono Cardinali urbis Romae, in Ecclesia honorem repraesentantes tantum. Pontifici vero Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Abbas, Monachus in omni loco repraesentent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiae. Verum ob magnam codicum varietatem, & propter Glosas, ac Doctorum dicta nihil fere in textu mutatum est. De Abbate, & Monacho in Synodi editionibus nulla mentio est.

VI. Item EX CLEMENTIS I. Epist. I. ad Jacobum Fratrem Domini. [c. an. 68. Roma Hierosolymam.]

Quod sit officium Diaconorum.

DIACONI Ecclesiae tanquam oculi sint Episcopi, oberrantes, & circumlustrantes cum veracindia actus totius Ecclesiae, & percurantes diligentius, si quem videant vicinum fieri praecipit, & proximum esse peccato, ut referant haec ad Episcopum. §. I. Sed & de peregrinis similiter Episcopo fergeant referendis, & cetera his similia, quae ad cultum Ecclesiae, & disciplinam ejus pertinent, Diaconis cure sint.

CORR. ROM. a. Et infra.] Sic legitur in plerisque manuscriptis. In vulgatis legebatur, & ita: alia vero nonnulla verba restituta sunt ex originali.

VII. Item EX EODEM, eadem Epistola. [c. an. 68. Roma Hierosolymam.]

De eodem.

SACERDOTES vero B. Petrus sal terrae, & mundi lumen docens praecipit in splendore bonorum operum patrem glorificare Deum; de quibus Dominus ait: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & rel. & iterum: Vos estis sal terra.

VIII. Item EX CONCILIO PARISIENSIS. [fort. an. 813. in Gallia.]

Hi non sunt habendi Clerici, qui Episcopali providentia non gubernantur.

NULLA P ratione Clerici, aut Sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina, & providentia gubernantur. Tales enim Acephalos, id est, sine capite praeferuntur, aut Episcopo, aut Presbytero porrigente. Sed nec federe in medio Presbyterorum Diaconis liceat: quia si hoc fiat, praeter regulam, & ordinem probatur exiltere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debet.

IX. Item EX CLEMENTIS Epist. 3. [c. an. 68. Roma ad omnes Episcopos.]

De eodem.

QUI suis Episcopis non obediunt, indubitanter rei, & reprobi exitiunt. Porro ipsi a Deo donum summi muneris consequuntur, qui per justitiam, & praecceptorum ejus semitas incedentes, Doctoribus suis, qui recte Episcopi intelliguntur, libenter obediunt.

X. Item ANACLETUS, Epist. I. [c. an. 102. Roma ad omnes Episcopos, &c.]

Illi in Deum scandalizantur, qui suo non obediunt Episcopo. Ille proculdubio scandalizatur in Deum, qui recte non docet, & qui ejus scandalizat Episcopum, vel Sacerdotem.

XI. Item EVARISTUS ad Episcopos Africanos, Epist. I. [an. 96. Roma in Africam.]

Septem debent esse Diaconi in unaquaque civitate. Diaconi (qui quasi oculi videntur esse Episcopi) in unaquaque civitate, juxta Apostolorum constituta, septem debent esse, qui custodiant Episcopum praedicantem; ne aut ipse Episcopus ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut ledatur a suis: aut verba Domini, detrahendo aut insidiando, polluantur, vel despiciantur; sed veritas spiritaliter redoleat fervore, & pax praedicata labiis, animi cum voluntate concordet.

PITH. a. Diaconi.] V. C. Diacones.

XII. Item EX CONCILIO NEOCESARIENSIS, c. 14. [an. 314. in Cappadocia.]

De eodem.

DIACONI septem esse debent secundum regulam, quamvis magna a lit civitas. Regule autem auctoritas illa est, quod & Liber actum Apostolorum idem insinuat.

CORR. ROM. a. Quamvis magna.] Antea legebatur, quamvis non magna. Emendatum est ex canone Graeco, (qui etiam recitatur in sexta Synodo, c. 16.) & ex vulgatis etiam versionibus. In Canonibus prima Nicena Synodi, qui ex Arabico in Latinum conversi nuper editi sunt, Canone 62. multa habentur ad hanc rem pertinentia: quem fortasse Canonem significavit Andreas Colossensis septima actione Synodi Florentinae.

PITH. a. Diaconi.] V. C. Diacones.

Regule autem.] Prisca versio, quam, quae praecedunt, indicant Gratianum sequuntur, cui regule auctoritas erit Liber Actuum Apostolorum. Dionys. Id ipsum & Actuum Apostolorum Liber indicat.

GRATIAN. Ut igitur ex praemissis apparet, Diaconi debent obedientiam Presbyteris, sicut Presbyteri Episcopis. Sed Diaconi superbius, Sacerdotibus aequari, vel potius praeferi querebant: contra quorum insolentiam multorum auctoritates manaverunt, eorum supercilium reprimentes, atque ut Sacerdotibus condignam obedientiam exhibeant, decernentes. Unde ait

XIII. GELASIVUS a. 7. Papa in Epistola ad Episcopos per Lucianum, c. 9. & 10. [an. 494. Roma in Lucaniam.]

Nihil eorum, quae sunt decreta primis ordinibus, vendicent Diaconi.

Polye. l. 3. Diaconos propriam constitutum servare mensuram, nec ultra tenorem patris Canonis deputatum quippiam tentare permitimus: Nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quae primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant; nisi praedictis fortassis ordinibus, & longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod & Laici Christiani facere plerumque conceditur. §. I. Sacri corporis prerogationem sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri (nisi his absentibus) jus non habeant exercendi.

CORR. ROM. a. Gelasius.] Sic est in plerisque manuscriptis, & apud Burc. & Ivonem. Nam in impressis erat, Pelagius.

PITH. a. Gelasius.] V. C. Gelasius universis Episcopis per Lucaniam, Britum, & Siciliam constituit.

Proprie.] V. C. proprie.

Ordinibus.] 3. V. C. officiis.

XIV. Item EX CONCILIO NICEENO, c. 14. seu 18. [an. 325. in Bithynia.]

Inferiores Presbyteris se Diaconi cognoscant.

PERVENIT ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam, & civitatibus, Presbyteris sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam Diaconi etiam ante Episcopos sacramenta sumunt. Haec ergo omnia amputentur: & in sua Diaconi mensura permanent; scientes, quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergo post Presbyteros gratiam sacra communionis accipiant, aut Episcopo, aut Presbytero porrigente. Sed nec federe in medio Presbyterorum Diaconis liceat: quia si hoc fiat, praeter regulam, & ordinem probatur exiltere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debet.

CORR. ROM.] Prior pars hujus Capituli usque ad verbum amputentur, est ex prisca versione Dionysii in Canone 18. quam quidem totam afferunt, & codex Canonum, & Burcharius, & Ivo.

Sacramenta sumunt.] Graecè est, τὸν εὐχαριστίας ἄρτον, quod Dionysius vertit, oblata contingant. quamquam Burcharius, & Ivo hoc uno fere loco discrepantes habent, ille quidem, sacra oblata contingant, hic vero, sacra oblationem contingant.

Pars I.

XV. Item EX CONCILIO LAODICENSIS, c. 20. [c. an. 320. in Phrygia Pacatiana.]

Et in Agat. c. 65. Aquiligr. c. 77. Diaconus honorem exhibet Presbytero, & ipse ab inferioribus honoretur.

NON oportet Diaconum coram Presbytero federe: sed iustione Presbyteri fedeat: similiter autem Diaconus honorem habeat a sequentibus, id est, a Subdiaconis, & omnibus Clericis.

XVI. Item EX EODEM, c. 25. [c. an. 320. ibid.]

Calicem benedicere, & panem dare Diaconis non licet. NON oportet Diaconos panem dare, nec calicem benedicere.

CORR. ROM. a. Diaconos.] In vetustioribus praeferuntur editionibus est, Diaconem. Graecè est, ὑπερβαλὼν, quod Dionysius vertit, Subdiaconus; & sic habetur in Concilio Aquiligranensi.

PITH. a. Non oportet.] Non oportet Ministris Diaconos panem dare, nec calices benedicere. Ita verio qua utitur Gratianus.

XVII. Item EX CONCILIO CARTHAGINENSIS IV. a. c. 37. [an. 398. in Africa.]

Sicut Episcopi, ita & Presbyteris Diaconi ministrent.

DIACONI ita se Presbyteri, sicut Episcopi ministros esse cognoscant.

CORR. ROM. a. IV.] Caput hoc cum duobus sequentibus habetur in Concilio quarto Carthagenensi, & in codicibus Gratiani etiam manuscriptis, itemque apud Anselmum titulo hujus Capituli erat additum: Carthagenensium quarto, cui Papa Zozimus interstit per Vicarios, quod minime convenire ostendunt acta sexta Synodi Carthagenensis; ad quam Zozimus Faustinum Potentinae Ecclesiae Episcopum, Philippum, & Acellum legatos misit. Nam quarta habita est Honorio IV. & Eutychemo coff. Sexta vero Honorio XII. & Theodosio VIII. coff. id est, anno vigesimo post. Quo anno (prout ex Africano Concilio can. 76. & sequentibus apparet) contra Pelagii & Celestii haerem quaedam sunt definita; cum Celestius ad Zozimum Papam appellasset: quod ex nonnullis manuscriptis Zozimi, & Episcoporum Africae ad ipsum Epistolis, quae in Bibliotheca Vaticana servantur, demonstratur. Quare, cum Zozimus in Pontificatu duos tantum annos, & menses aliquot vixerit, necessarium est multo ante ipsum Pontificatum quartam Synodum Carthagenensem habitam fuisse.

XVIII. Item EX EODEM, c. 38. [an. 398. ibid.]

De eodem.

Præsente Presbytero Diaconus Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussum erogat.

XIX. Item EX EODEM, c. 39. & 40. [an. 398. ibid.]

De eodem.

DIACONUS fedeat quolibet loco, jubente Presbytero. Item Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus loquatur. Alia vero tempore oblationis tantum, vel lectionis utatur.

XX. Item EX CONCILIO TOLETANO IV. c. 38. [an. 633. in Hispania.]

Diaconi Presbyteris se superiores non esse cognoscant.

NONnulli Diaconi in tantam erumpunt superbiam, ut sese Presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare praesumant, Presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo, ut sublimiores se Presbyteros agnoscant, tam hi quam illi in utroque a constant.

CORR. ROM. a. In utroque.] Licet in vulgatis Gratiani codicibus legatur, in utroque ordine, & in tomis Conciliorum impressis, in utroque choro: tamen in vetusto codice Conciliorum Regis Catholici, & plerisque vetustis Gratiani, etiam impressis, neutra vox habetur.

COMPAGIS vero calcari absque Apostolici licentia Diaconis non permittitur, sicut nec mappulis uti absque ejusdem auctoritate quibuslibet Clericis conceditur. Unde

XXI. GREGORIUS I. Joanni Episcopo Syracusano, lib. 7. Epist. 28. Indict. I. [an. 598. Roma in Siciliam.]

Absque Apostolica licentia Diaconi compagis uti non praesumant.

PERVENIT ad nos, Diaconos Ecclesiae Catinensis calcatos compagis procedere praesumpisse: quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiae Messanenensis, quibus olim a Praedecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolis. Quia ergo tante temeritatis ausus non est leviter attendendus, cum omni hoc Fraternitas vestra subtilitate perquirat: & si ita a, sicut ad nos pervenit, inveniret verum esse; utrum vel a se, vel alicujus hoc auctoritate